

Universitätsbibliothek Wuppertal

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Anno 1698

Liber VI

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-875](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-875)

sperem, si qua voluntatis tuæ facta mutatio sit, quod quia meritis minimè sum, idèò minimè possum credere, me tamen ab humanitate tua facile impetraturum, ut te mihi totum restituas. Nec enim decet, apud talem virum, tantumq; Principem, naturâ bonum, judiciò, & consuetudine optimum, consiliis & artibus locum esse hominum perditorum. Quam mihi spem ut confirmet literæ tuæ, peto à te pro mea pervetere non solùm erga te, verùm etiam erga tuos omnes observantiâ: idq; à te summa tua, tuæq; familiæ dignitas postulat. Vale.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII,

Lib. VI.

FRANCISCO RICHARDOTO,
EPISCOPO ATREBATEN.

EPIST. I.

Conciliatoria, quâ se, cum sermone Panthagathi, tum oratione ejus in Cameracensi Synodo habita, impulsam, scribit, ut aliquam voluntatis suæ significationem daret. Deinde letatur, ipsum de studiis suis optimè sentire, idq; omnibus opibus præfert. Tertio hortatur eum, ut scriptis suis benè de Rep. Christiana mereri pergat. Et denique suum illi studium in virtute ejus celebranda prolixè defert.

Formul. In te ornando & amando nulli cedam. Me
tamen ita animatum. (A)

Form. Deferendi alicui summi studium. A me ve-
lim. (B)



Um antea tibi, ex hominis mihi amicissimi, tuiq; studiosissimi, singularis viri Octavii Panthagathi, sermone, tribuebam plurimum, ac te, nondum mihi facie notum, colere tamen, & diligere non vulgariter coeperam: tum verò, ut legi orationem tuam, nuper habitam in Synodo Cameracensi, qua nescio an quidquam adhuc viderim præstantius, dici vix potest, quantum ad meum de te iudicium, quantum etiam ad amorem accesserit. Vidi enim, ut in tabella pictam, atque expressam, ingenii doctrinaeque tuæ imaginem excellentem: quam intuens, amore tui sum incensus incredibili, sic, ut ardentius esse nihil possit. Et, quanquam assiduis distinebar curis; feci tamen; studio scilicet impulsus; ut his tibi literis aliquam voluntatis in te meæ significationem darem. Nam etsi tu is es, cujus virtutes, quasi pleno theatro spectatae, jam ita notae sint, ut nec augeri cujusquam præconiò, nec minui vituperatione possint: (A) me tamen ita animatum esse velim existimes, ut, cum multi certatim te ornent laudibus, ego tamen in eo vel principatum appetam, vel superiorem, certè feram neminem. Nam, quòd te de studiis meis non pessimè sentire, & Joannes Richardotus, præclarâ indole juvenis, natus ad omnem laudem, planeque te avunculo dignus, affirmat, & literæ tuæ, ad illum scriptæ, significant: valde triumpho, atque
Z 5 istam

istam opinionem, mihi crede, beatorum hominum
 copiis, atqve opibus non comparo solum, verum,
 etiam antepono. Quid enim optabilius, quam iis
 placere, quorum virtus, & vita tum principibus vi-
 ris, tum etiam populo placet universo? Quid autem
 accidere cuiquam possit illustrius, quam a te laudari,
 qui ita vivis, ut nihil agas, nihil expetendum putes,
 nisi cum eximia laude conjunctum? Notum enim
 genus est institutorum tuorum, nota industria, no-
 ta curæ pro salute animarum vel tuendâ, vel recu-
 perandâ. Scimus, quos ex ingenio tuo fructus A-
 trebates tui partim jam colligant, partim etiam ex-
 spectent: dicerent, nobis invidentibus, si aut in
 Christianum invidia caderet, aut ex eo genere vir-
 tus esset, quæ non longè distribui, non communi-
 cari passim facillè posset. Quod cum ita sit; non
 committam tamen, ut te horter, ut ad nos quoque
 tua scripta pervenire velis. Quod enim publicè
 profuturum videtur, in eo neque cuiusquam horta-
 tioni bonitas tua, neque consilio prudentia locum
 relinquit. Lætabor potius, quòd ea sis & volunta-
 te, & virtute præditus, ut optimè de Christiana
 rep. mereri, eamque miseris temporibus labefacta-
 tam confirmare maximè possis. Quò factò, ini-
 bis maximam gratiam ab omnibus bonis, tibi que
 perennem gloriam, & ea, quæ summis meritis pro-
 posita sunt, præmia consequeris. (A) A me velim,
 si quid tuâ, tuorumve causâ præstare possim; quan-
 quam, & quam tu firmus ab omni re sis, & quam e-
 go imbecillus, intelligo; veruntamen, si acciderit,
 ut vel amplitudini, gloriæque tuæ, vel eorum, qui tibi

Mari fin
 eadem a n
 om habe
 Dabo op
 officia me
 colter, ex
 nec medi
 al. Sept. M

N

Resp
 elegantia
 tur, gaudet
 Form.

Multa
 præ
 ignores
 doctrin
 ram ex
 plurim
 habeo
 tua, sic
 gvz pro
 re. Q
 institut
 scientia
 hi de ar
 gum op

hicari sunt, commodis fervire possim; expectabis eadem à me, quæ soles ab iis, quorum valde cognitam habes fidem, benevolentiam, observantiam. Dabo operam, & assequar, ut spero, ut opinioni tuæ officia mea respondeant. Studium quidem, si respiciet, exstabit ejusmodi, ut nec obscurum esse, nec mediocre videri, possit. Vale. Romæ, prid. Id. Sept. M. D. LXV.

NICOLAO GOTIO, EPID AURUM.

EPIST. II.

Respondet officiosa Epistola Gotii, & eam laudat ab elegantia Romane lingvæ, sibiq; de amicitia illius gratulatur, gaudetq; rationem suorum studiorum ab illo probari.

Form. Felicem me judico. Cum quæ, mihi crede. (A)

Multa virtus præmia, sed nullum habet seipsa præstantius. Itaque, nisi te ipsum profus ignores, valde te lætari necesse est, mi Nicolae, tum doctrinâ, tum etiam eloquentiâ tuâ: quarum alteram ex hominis mihi amicissimi, cujus testimonio plurimum tribuo, Pauli Bosii literis jampridem habeo cognitam; altera sese ostendit in epistola tua, sic, ut speciem egregiam veteris Romane lingvæ propemodum in te uno mihi videar agnoscere. Quocirca patriæ tuæ gratulor, quam præclaris institutis, opibusque florentem præcipua quadam scientiæ tuæ gloriâ nobilitas. Gratulor etiam mihi de amicitia tua: cum quæ, mihi crede, neq; Regum opes, neq; ulla omninò fortunæ bona confere-

ro,

ro. Nec verò Imperatores illos veteres, quorum bellica facta historia celebrant, tantam è suis triumphis, atq; ex insigni illa laurea cepisse voluptatem existimo, quantum haurire me sensi, cum eam partem legerem literarum tuarum, in qua, rationem studiorum meorum probari tibi vehementer, significas. Quod si tu aliter sensisses; mutassem institutum: meq; ad consilium tuum, tuaq; præcepta totum contulissem. Et, quoniam, quid præstare possis, video; cupio, te aliquid mandare literis, quod ad posteros perveniat. Plura vellem, sed avocant negotia. Unum illud addam, te mihi esse, in oculis, idq; tuo meritò. Ferus enim, ac ferreus nimis est, qui te amori singulari non amat, tot præditum suavitatibus ingenii. Ego tibi à me singularem benevolentiam & perpetuam tui nominis observantiam polliceor. Vale. VI. Id. Sext. M. D. LXI.

JOH. SARIO ZAMOSCIO,
PATAVIUM.

EIPST. III.

Officiosa, qua significat, se rogatu Sigonii Zamoscium Muscovio commendasse, ac letatur hanc sibi datam facultatem, amicitia cum ipso per literas in eunda: qua, etsi quidem major futura esset, si communicatio sermonis accederet: tamen cum id rationes utriusq; non ferant, hortatur Zamoscium, ut Sigonii presentis consuetudine fruatur, & se absentem diligat.

Form. In te amando nulli cedam. Itaq; statue. (A)

Laus Sigonii. (A)

Sæpe

Sæpe mihi antea literæ Caroli Sigonii, cui quantum tribuam, non ignoras, præclarum & humanitatis, & ingenii, doctrinæq; tuæ testimonium dederant: itaque te eram complexus amore non mediocri, sic ut faverem tuæ laudi mirabiliter, idq; ut ipse illustri aliquo signo intelligeres, vehementer cuperem. Ut optabam, ita contigit. Nam, cum tu animum induxisses, valere me gratiâ apud Petrum Miscovium, florentem virum honoribus, opibus, omniqve virtute; faciliè impetravit à me Sigonius, cum tuo nomine rogaret, ut ei te commendarem, literis, quam possem diligentissimè. Verum, ut est Miscovius in liberales doctrinas egregiè animatus, & ingeniorum existimator intelligens: non dubito, quin tibi plus apud eum virtus tua, quam mea commendatio profutura sit. Ut ut erit, ego mihi interim facultatem esse datam testificandæ benevolentæ in te meæ, etiam atq; etiam lætor. Quod ita velim interpreteris, ut accepisse me beneficium, non dedisse existimes, quando hinc vel orta inter nos, vel certè aucta amicitia est, & mutuò jam literarum quasi pignore confirmata. Quod si ad hanc animorum consensionem, quâ tamen conjungi absentes videmur, communicatio sermonis & suavitas consuetudinis posset accedere; id quod forsitan optamus pariter, sperare mihi per meas rationes, tibi per studia tua, non licet: præstantes, opinor, fructus caperemus eorum studiorum communione, quæ, qui verè sapiunt, sola esse instar vitæ putant; quanquam hanc mihi aliquantò iniquiùs, quam tibi, ferendam esse jacturam intelligo. Tu enim

enim istic & abundas otio, cujus mihi fructus, nisi commentarer interdum aliquid antelucanis horis, planè eriperetur omnis: (A) & cum te Sigonio nostro, humanissimo viro, non iis modò artibus, quæ specie quadam alliciunt, & defessum gravibus curis animum recreant, verùm etiam iis, unde ratio sumitur, & moderatio vitæ, instructissimo, totum, ut audio, dedideris, mihi crede, non est, quod aliunde quidquam petas, aut cujusquam præterea vivam in hoc genere vocem desideres. Quare istò bonò frueri, dum licet: in quo tamen admonitionem, & consilium meum prudentia tua non expectat: atque hòc æquidem nomine tibi plurimum, ut debeo, gratulor: me verò absentem dilige. (B) Itaque statue de mea voluntate, ut multos credas usui, & familiaritate, quotidianisque officiis conjunctiores tecum esse posse, quam me; amore autem, & studio prorsus neminem. Vale Romæ. Kalend. No. M. D. L. XI.

PETRO MISCOVIO.

EIPST. IV.

1. Cessationem suam in officio literarum excusat à variis & quotidianis occupationibus, quibus in editione sacrorum libb. distinetur. 2. Deinde fretus amicitia, quæ sibi cum ipso intercedit, commendat illi Zamoscium, eumque rogat, ut suam & Sigonii causam illum sibi commendatum habeat.

Form. Commendandi. Suspice igitur. (A)

A quo die, accitus à summo Pontifice, ad Urbem veni, otioso nunquam esse mihi licuit: &

quantum divino, eadem perpetuò erunt omnia: neq; verò salutationibus quotidianis, quarum pleræque mihi quidem voluntariæ sunt, necessarias quasdam aliis ambitio facit, valde me deditum esse, velim existimes. Valeant hæc, & si quid est generis ejusmodi: ego in ea cura, quam suscepi, ut emendati edantur sacri libri, mihi esse hærendum intelligo; & eò magis, quòd ad res præclaras communemq; animorum utilitatem, ita Pontificis voluntas incumbit, ut excitet studia multorum, eaq; intermitti, aut langvescere non sinat. Quæ si tibi, ut arbitror, jam nota sunt; non dubito, quin me cessantem in officio literarum, omni vel negligentia, vel oblivionis amicitia inter nos instituta culpâ liberes. Sin ex me primùm hæc accipis: æquior saltem in posterum te mihi præbere debebis, & existimare id, quod res est, me tibi ex iis, quos in longinquis terris viventes, similitudine mihi studiorum conjunctos, libenter cæpi diligere, præcipuam uni præstare memoriam, atq; observantiam; nec mei jam in hoc officio dissimilem esse posse, quando tu quoq; ut audio, quotidie tui similiores, id est, earum virtutum laude præstantior, quarum fama tibi multos non mediocri voluntate, me verò aliquot abhinc annis planè singulari studio devinxit. Ac vide, quid verus amor valeat. Ego, cum tibi me comparare nullâ re audeam, ne utrumque nostrum videar ignorare; tamen, cujus in te animi sum ipse mihi conscius, in eo te respondere, libenter credo. Fert hoc humanitas, postulat consuetudo tua, exigit etiam amicitia nostra, cujus æquidem

recreo memoriâ, honestor etiam nomine. Hac spe fretus, à te peto, ut Johannem Sarium Zamoscium, qui hanc epistolam cum suis literis ad te mittet, ita complectaris, ut meam commendationem, quod ille sibi persuasit, valuisse plurimum intelligat. Est in familiarissimis, atque intimis Caroli Sigonii: & excellit, ipso teste Sigoniô, moribus, ingenio, omnium denique indole virtutis. Jam, quæ mihi cum Sigonio intercedat necessitudo, quanta studiorum, animorumque conjunctio, quam consentiamus in literis, aut quam suaviter interdum dissentiamus, ut ego mihi illum semper anteposuerim, ille mihi semper tribuerit plurimum, utriusque scripta declarant. (A) Suscipe igitur, si quid non modo meâ, verum etiam Sigonii causâ vis, & orna, quantum potes, excultum doctrinis juvenem, præstantis animi, natum ad patriæ suæ decus, tui verè mirificè studiosum, atque peramantem: nos enim simul in illo ornabis testimonio benevolentiam tuam, quam cognosci à quamplurimis, & nos aliquid apud te esse, quia vehementer hoc ad nostram laudem pertinet, propterea vehementer cupimus. Vale, & Patricio meo, nisi grave est, salutem meis verbis plurimam. Romæ XIV. Kal. Octobr.

M. D. LXI.



JOHAN. SARIO ZAMOSCIO,
PATAVIUM.

EPIST. V.

Gratulatur Zamoscio, de benevolentia Miscovii suis literis ipsi conciliata, eumque rectè monet, ut literas humaniores colere pergat.

ESt, cur gaudeam, capere te fructum aliquem ex iis literis, quas ad ornatissimum virum, Petrum Miscovium, de te scripseram. Quamquam hanc ego jam lætitiã animò præceperam, quippe qui & Miscovii præstantem humanitatem cognitã haberem, & in te ipso esse multa, quæ amorem concilient, non ignorarem. Quod si te nobis, id est, alienioribus, tua virtus ita commendat, ut cupiamus tuã causã, quidquid possumus: cur eadem virtus omnia tibi à tuis, nullã cujusquam commendatione, non impetret? Hoc te, quoque existimare, cum intueor studia tua, facilè mihi persuadeo; nec dubito, quin, ex quibus artibus manant hæc, quæ tibi proposita sunt, quæque adeptus in summo splendore ac dignitate vives, eæ tibi artes cariore quotidiè sint, cum præsertim excellere te intelligam industriã, doctrinã, eloquentiã, sic, ut alios tua laude commoveas, exemplo; doceas, malè suis rationibus consulere, si quem à sempiternis præmiis paucorum annorum labor avertat. Patricius denuo cupit Venetiis imprimi sua Fragmenta. In ea re meam operam videtur exposcere, nec mihi voluntas deest: amo

enim hominem amore non vulgari: sed, absens quid possim, non video, nec libenter suscipio, quòd, si parum succedat, amici animus offendatur, & ego illius angar molestiâ. Scribam tamen ad eum, cum vacabo. Nam nunc occupationibus valdè urgeor. Vale. Romæ.

JOHANNI TURRITIANO, SERMONE TAM.

EPIST. VI.

Inter varias occupationes respondet officiosa Epistole Turritiani, & latatur, quòd propinquitate locorum, conjuncti majores mutua benevolentie fructus per literas capere possint. Deinde narrat, quid de illius statu ex Gambarâ audierit, & suum illi statum exponit.

Form. Causas scriptionis allegare. Et si eram valdè. &c.

ET si eram valdè districtus earum rerum curâ, quæ ad sacrorum librorum editionem pertinent: cui toti muneri, me esse à Pio IV. Pontific. Maxim. non contemnenda conditione præpositum, credo te audivisse: tamen, acceptis literis tuis, humanissimè scriptis, & elegantissimè, vicit occupationes meas, nec à me responderi nihil est passa recordatio nostræ veteris amicitie, quam à virtute ortam eadem postea virtus aluit, atq; conservavit. Ego te, mi Turritiane, quò primùm die cognovi, dignissimum duxi, quem omnes homines in oculis ferrent: ita sum delectatus ingenio
tuo

tuo; ita doctrinam, ita mores probavi. Consuetudinem tuam, atque usum inter nos assiduam, cum vehementer expeterem, per utriusque rationes consequi non licuit. Nunc sive casus, sive nostra voluntas ita tulit, ut ego Romæ, tu Sermonetæ viveres; lætor plurimum hac locorum propinquitate, & spero futurum, ut majores mutue benevolentie fructus, si minus præsentem, literis saltem consequamur. Ego tibi omnia, quæ potero, diligenter officia præstabo; memoriam quidem, & benevolentiam, ut debeo, singularem. De tuo statu audieram antea sæpè à Laurentio Gambaræ; proximis autem diebus à familiari tuo, juvene suavissimis moribus ornatò, cognovi ea, quæ mihi lætitiæ attulerunt incredibilem: valere te gratiâ, & auctoritate apud Sermonetanum Cardinalem omni laude cumulatam, ejusque fratrem, Bonifacium, Principem, majorum suorum virtute simillimum: in Auditoris munere nunquam te à jure, & æquitate discedere, consequi tamen humanitate, & ingenii præstantiâ, ut summis, & infimis carus æque jucundusque sis: filiolum te habere indole optimâ, quem patris domestica virtus ad verum decus excitabit. Hæc de te, ut optabam, quæ spero fore perpetua. De me, præter ea, quæ ab aliis accepisti, nihil ferè habeo, quòd significem. Valeo satis commodè: filius discit apud me diligenter: nec pœnitet, quantum proficiat: vivimus, mediocri fortunâ contenti. Vale & clarissimo Principi, cujus ego parentem, cum viveret, avum autem pater meus omni observantiâ coluit, salutem

PAULI MANUTII
 plurimam, officiosè manum osculatus, meis verbis
 dices. Romæ, VI. Id. Nov. M. D. LXI.

ANDRÆ SYLVIO,
 VENETIAS.

EPIST. VII.

*Hortatur Sylvium, 1. ut in Horatiana interpreta-
 tione pergat, 2. ut Romam se conferat, quod ibi certior &
 major a bonis artibus premia sint proposita, quàm alibi
 locorum.*

Vix credas, mi Sylvi, quàm sæpe in magnis oc-
 cupationibus tangar desiderio tui. Non enim
 tuæ suavitatis, non ingeni, non etiam pudoris in-
 genui, quò delector in primis, exemplum facile
 reperio. Moveor etiam promissò illò tuò inter-
 pretationis Horatianæ, de qua te absentem inter-
 dum admonere possum, præsentem quotidiè ap-
 pellarem, ac penè conviciò exigere. Quis e-
 nim, quid de poetis modò judicare aliquid possit,
 uni inter Latinos omnes Horatio, vel acumine in-
 genii, vel sententiarum gravitate, palmam non
 tribuit? Quis igitur non magnoperè tuarum lucu-
 brationum cupiditate capiatur? Dixeras, velle te
 omnia, quæ ille à Græcis plurima transtulit, ut su-
 am poësin, tanquam aurò purpuram illustraret,
 diligenter colligere, oculisq; omnium, ut imitan-
 di ratio pateat, subjicere. Totum opus erit egre-
 gium: sed hanc maximè partem, in qua non ad-
 modum aliorum elaboravit industria, à te homi-
 nes eruditi vehementer expectant, & augetur
 exspe-

expectatio sermonibus meis. Quare velim, si quid ego apud te sum, vel potius, si tibi ipse carus es, ad urbem te conferas ineunte vere. Nusquam certiora, aut majora bonis artibus proposita sunt præmia. Aliis in locis, tanquam peregrina, procul adspicitur virtus: hic statim colitur, ut domestica complexu excipitur, fovetur sinu. Quis autem ipse sibi tam iniquus esse velit, ut, ubi aliquem possit, atque adeo maximum suorum laborum, & vigiliarum fructum ferre, ibi non & sedem ponere, & perpetuam vitam ducere animum inducat? Exemplane quæras: undique enim suppetunt. Hæc tantum scripsi raptim, in magnis temporis angustiis, ut intelligeres, me esse memorem amicitiae nostræ, & cum assiduis distinear curis, de tuis tamen commodis, & ornamentis cogitare. Vale Romæ. Idibus Non, M.D.LXI.

JOANNI BAPTISTÆ TITIO,
FLORENTIAM.

EPIST. VIII.

*Facit Titium certiozem de variis rebus Romanis;
item de suo statu & Typographia.*

Cum, quid ageres, ignorarem, nec jam, ut ingenue fatear, tui desiderium satis ferrem: quippe tua mihi suavitas, tuum ingenium, tuæ literæ sæpe occurrunt: amore sum impulsus, ut hæc in magnis occupationibus ad te scriberem. Et, ut ordiar à rebus Romanis, id primum cognosce, tranquillam hinc esse omnia, nihil turbulenti, nihil adversi: civitas quotidie magis hoc Pontifice re-

vivicificit. Ita non modò ipse excellit iustitiâ, pietate, beneficentiâ; verùm etiam suos omnes, egregiâ illos quidem ad virtutem indolis, veruntamen suò etiam exemplò, quales esse debent, tales præstat. Quod in magna potestate, rerumque copiâ quàm non faciliè contingat, utinam veteribus tantum, non etiam recentibus exemplis cognitum haberemus. Multis locis ædificatur strenuè: nam Pontifex, ut præstanti animò est, antiqva illius Romæ speciem eximiam, & formam cognitione, ac mente complexus, excitari præclara monumenta, vias restitui veteres, novas muniri, aquas etiam à longinquis fontibus impensâ maximâ in urbem duci iubet. Quæ cum erunt absoluta, nihil ad spectu pulchrius, nihil magnificentius, aut etiam commodius esse poterit. Ego, quæquam tum aliis rebus, tum officio salutandi molestissimo quotidie ferè distineor, jucundè tamen satis vivo: si modò homini, scientiæ cupido, sine librorum usu, quò careo perinvitus, jucundi quidquam esse potest. Præla nostra, comparatis jam, ferè omnibus rebus, quæ ad imprimendum pertinent, propediem in officio erunt, & à Cypriani epistolis, quod felix, faustumque sit, initium fiet. De tuo statu expectabam omnino aliquid ex literis tuis; idque postulare videbatur amicitia nostra: sed, cum ea spes me fefellerit, nolui committere, ut vicissim ipse officium meum desiderare posses. Vale, & salve à filio meo, cui raptim hæc manè dictavi, cum in Vaticanum, negoti-

triusa,
M.D.LX

IOE

Rogatus
est, quod

is: i. q. s.
ationes p

ormatio b
occupat

sumptibus

Form
1567 p. 7

N magn

lit Epist

sperit ill

ne, Prin

atque e

adejus

confer

idem ar
Cardin
equide
caulam
Roma,
ti: quo
sire ho
intellig

tii causâ, properarem. Romæ, Nonis Decembris,
M. D. LXI.

JOHANNI TURRITIANO,
SERMONETAM.

EPIST. IX.

Rogat Turritianam, ut se excuset Principi Cajetano, quòd non possit ejus filium informare, his argumentis: 1. quòd alius id deneget. 2. Quòd propter occupationes publicas nequeat huic rei vacare. 3. Quòd informatio hæc requirat maximam diligentiam: cum in tot occupationibus nequeat mediocrem prestare. 4. Quòd suum ipsius filium non amplius informet: &c.

Form. Deferendi alicui suum studium in rebus, quas possit prestare. Eiq; de meo sensu. (A)

IN magna jucunditate, quam tua mihi attulit Epistola, molestiæ nonnihil, ac doloris adspersit illa pars, in qua Bonifacii Cajetani nomine, Principis egregii, cujus causa velle me omnia, atque etiam debere confiteor, accuratè petis, ut ad ejus filium liberalibus excolendum disciplinis conferam studium, & industriam meam. Quod idem antea cum sæpe, & vehementer peterent Cardinales aliquot, optimè, de me meriti, invitus equidem, tamen pernegavi: neque verò ob eam causam, quia privatim docere, præsertim in urbe, Roma, dignitatem non habere, arbitrantur multi: quod mihi quidem videtur secus: quod enim scire honestum est, id cur docere turpe sit, non intelligo: sed multò magis, quia publici muneris

cura, libenter à me pro communi utilitate susce-
 pta, vacui sanè temporis minimum relinquit, :
 & id ipsum, quod relinquitur, jure quodam suo
 sibi postulant, atque exigunt studia mea. Quan-
 quam ab his me sæpe vel salutandi necessitas,
 vel amicorum avellit interpellatio. Ita tradu-
 cuntur dies. Honestè, inqvies. Fateor. Addo
 etiam, satis jucundè. Non enim me *usque*
per quendam, abhorrentem à consuetudine ho-
 minum, & humanitatis expertem, natura fin-
 xit. Veruntamen cum illâ, tibi non ignotâ, stu-
 diorum nostrorum suavitate voluptatem nullam
 comparo. Quod si nobilissimi adolescentis con-
 formandum optimis artibus ingenium suscipe-
 rem; valdè mihi cogitandum esset, quid patri e-
 jus, & patruo, quid etiam avi memoriam, quem co-
 lui studiosissimè, quid familiaritatis claritati deberem.
 Sæpe mihi occurreret mea fides & suscepti ratio
 muneris; & hominum quoque opinio, cui servien-
 dum esse non ignoras. Quæ profectò, vel singu-
 la tanti sunt, ut maximam à me diligentiam flagi-
 tare videantur: cum in hac tot rerum occupatio-
 ne tantâ ne mediocrem quidem præstare possim.
 Filius meus, cui te bene ominari gaudeo, meâ
 voce jam, quâ quotidie ferè aures ejus antea per-
 sonabant, in discendo non utitur. Sic enim in-
 utraq; versatur Lingua, ut suo jam studio potius,
 quam nostrâ proficiat industriâ. Quare velim eò
 te esse loco fingas, quò ego sum: & si nec officii
 me putas ignarum esse; nec obstare, quò minus
 officio satisfaciam; voluntatem vides; tribuas hoc
 ami-

amicitiæ nostræ & æquitati tuæ, ut causam meam apud optimum Principem diligenter agas; eiq̃ve de meo sensu (A) & studio ita fidem facias, nihil ut sibi tam esse deditum sentiat, quàm operam omnem meam, atq̃ve curam; nec malle me quicquam, quàm ejus, cum possim, obsequi voluntati; & cum non possim, vehementer angere. Hoc tu cura, & perface, si me gravi sanè sollicitudinis onere levatum vis. Facile, ut opinor, vel humanitas illius, vel ratio ipsa, quod cupimus, impetrabit. Idq̃ve à te, ne videar humanitati tuæ diffidere, pluribus verbis petere non debeo. Vale. Romæ, XVI. Kalend. Januar. M. D. LXI.

COLÆ ANTONIO CARACCIOLO
MARCHIONI VICI,
NEAPOLIM.

EPIST. X.

Consolatur Caracciolum de obitu avi, quem non laudandum dicit, propterea, quòd nihil sit in hac vita exoptandum, quòd illi non divinò munere contigerit: vita longa, virtus, opes, amicitia. &c. Deinde ipsum monet, ut avitas virtutes imitetur, & quam ingressus est glorie viam, per eam celeri cursu pergat.

Form. pollicendi alicui præconium laudum. Ibi: Me quidem perpetuo. (A)

AVum tuum, Marchionem Vici, virum omni laude cumulatum, vitâ excessisse, amicorum literæ significant. Quò equidem nunciò primùm

vehementer sum commotus, cum mihi veniret, in mentem doloris tui, quem ex illius interitu, conspectu erepto carissimi hominis, & fructu amisso maximarum virtutum, quibus in vita excelluit, jure suscepisti: deinde, ut me collegi, occurrebant multa, quamobrem animus meus a mœrore abductus, non mediocri solatiô conquiesceret. Quid enim est in hac vita exoptandum: Vita ipsa, dixerit aliquis. Num quid præterea? Virtus & bona existimatio, sine quibus ipsum vivere sapientibus jucundum non est: amplæ fortunæ, quas Peripatetici non neglexerunt; amicitiarum, quarum usus in secundis rebus delectationem, in adversis utilitatem semper, interdum etiam salutem affert. At hæc avo tuo, divinò quodam munere, omnia contigerunt, qui & ad ultimam ferè senectutem vitam perduxit, & sempiternam laudem, militari scientiâ, ac fortitudine partam, posteris reliquit; opibus autem non abundavit solum, verum etiam optimè usus est; amicitias, & clientelas, officii, & liberalitate quæsitæ, coluit diligentissimè. Quæ cum ita sint; non tibi dolendum est ejus interitu, quem sciebas natum esse mortalem; sed lætandum potius, quòd ita vixerit, ut minimum ei mors, quæ multorum nomina cum corporibus exstingvit, adimere posse videretur. Vivet enim avus tuus, vivet, inquam, in hominum memoria, quamdiu probitati, consilio, virtuti locus erit. Atque ille quidem lætari vehementer solebat, cum te nepotem suum, omni decore florentem, hæredem sibi futurum cerneret non earum

earum modò rerum, quæ fortunæ bona dicuntur, sed etiam virtutis, ac sapientiæ, quæ neque à fortuna dantur, nec eripientur unquam. Itaque debes eniti, & curare, quod te jam egregiè præstare audio, ut ejus in te virtutes agnoscantur: & quàm veræ gloriæ viam jam ingressus es, per eam celeri cursu eodem pergas. Sic enim brevi ad ea, quibus jam. bonis omnibus mirificè faventibus, ac lætantibus, appropinquas, immortalitatis præmia pervenies. Me quidem perpetuò (A) præconem laudum tuarum, si quid mea vox valeret, fore pollicerer: studio tamen, & conatu, si minus re ipsa licebit, fortasse consequar, ut, quæ mea sit erga te observantia, quæ de tuis virtutibus opinio, quæ tuas simul in me merita, homines intelligant. Vale. Romæ, pridie Kal. Martii, M.D.LXII.

JOH. ANTONIO SERONI,

NEAPOLIM.

EPIST. XI.

Respond. ad Laudatoriam, in qua 1. se excusat de prolato respondendi officio. 2. Laudes in se plena manu congestas non agnoscit, sed eas in ipsum transfert. 3. De doctrina illi gratulatur, & ipsum monet, ut aliquid literis mandet, quod posteritas in manibus habeat.

Form. excusandi se de silentio. Et si non dubito, &c. (A)

Form.

Form. Imparem se referenda gratia fateri: Ibi: Quibus in rebus gratiæ &c. (B)

Form. laudem non agnoscere: Quod ad laudes attinet, per totum (C)

Form. Polliceri alicui studia sua. Ibi: Quod reliquum est. (E)

Form. Dubitandi, utrum majorem letitiam, an molestiam ex amici literis acceperit. Ibi. Vix possum constituere. (D)

ET si non dubito, (A) quoniam in tu, pro tua prudentia, quibus assidue distinear curis, & quæ negotiorum onera sustineam, præclare intelligas: tamen peccasse mihi videor, nec à me ipso veniam facile impetro, qui acceptis literis tuis, humanitate simul, & ingenio conditis, respondendi officium ad hanc usque diem protulerim. Hac enim me esse mente, velim existimes, ut nihil aut à fortuna consequi, aut ab industria possim, quod tui similibus amicitii anteponendum putem. Itaque nullius mihi non modò culpæ, sed nec erroris conscius, magno tamen in dolore verfor. Appellasti me prior suavissimis literis, ornasti laudibus: amoris nulla significatio est, quâ vacaverit, epistola tua. Quibus in rebus gratiæ (B) referendæ facultatem non habeo; studiò tamen, & memoriâ benignitatis tuæ, partes meas facile tuebor. Quamquam, quod ad laudes (C) attinet, quas in me plenâ manu congesisti: vix possum constituere, (D) lætitiæ nè plus, an molestiæ mihi

attu-

attulerit iudicium de me tuum. Nemo ferè amat, nisi de quo bene existimat. Cur igitur, à quo amari vehementer cupio, ei me talem videri, qualis nunc quidem certè non sum, atque utinam aliquid esse possim, non vehementer gaudeam? Rursus, cum ad me ipsum cogitationem converto, meique vires ingenii cum opinione tua confero, statim illustrat veritatem ratio, erroremque mihi tuum cum pudore meo, atque etiam, ut verè dicam, non mediocri cum dolore, patefacit. Quamquam, cur ego errare te credam, qui studio, & doctrinà jam pridem es affecutus, ut minimè omnium in hoc genere falli possis? Nec servire auribus certè vis, homo ingenuis disciplinis eruditus. Quid ergo est? Socratem videlicet imitaris, & ironia te delectat. Nam, quòd tua bona minuis, nostra verò, si qua sunt, auges: amo equidem in altero modestiam tuam, in altero humanitatem: verum hoc scito, & patere æquo animo: me de te ipso contra te sentire, persuasum jam elegantia, & subtilitate literarum tuarum: quas qui legerit, quàm longè per eloquentiæ viam processeris, intelliget. De me autem, utinam sententiam tuam scripta mea non refellant: quibus ut ingenium non defuerit, quòd tu existimas, ego aliter statuo, diligentia certè, quæ sublevare ingenium potuit, in magnis occupationibus, & valetudinis infirmitate semper defuit. Quare omitte, quæso, ironiam istam, & æqua lance utrumque nostrum perpende. Ita fiet, ut, quæ in me ornamenta contulisti, maximam

eorum

eorum partem in te transferas. Ego enim, si quis voluntatem, vel si etiam industriam in me laudet, facile patiar; cetera non cognoscam. Teverò, quanquam antea eruditissimi, & in primis acuti juvenis, Joh. Vincentii Pinelli testimonio magnopere credebam; tamen, ex una tua epistola, tanquam ab ungue leonem, planè totum cognovi. Itaque, cum tibi de ista præstantis ingenii facultate, doctrinæq; copiâ plurimum gratulor: tum verò, ut tua bona nôris, id est, ut aliquid literis mandes, quod omnis posteritas in manibus habeat, pro instituta inter nos amicitia non hortor solum, verum etiam rogo: Quod reliquum est, (E) licet inter bonos haud valde necessariam officii promissionem existimem, præsertim in ea necessitudine, quam studiorum similitudo peperit: omnia tamen, quæ præstare possum, quæ summa esse cuperem, sed ea tamen, quæcunqve sunt, in omnibus tuis rebus, minimis, maximis, æquè tibi polliceor, ac si jam pridem amare cœpissimus inter nos. Hòc enim, & aliis frui privilegiis decet eas amicitias, quæ à studio virtutis emanant. Vale. Romæ. Kalendis Mart. M.D.LXII.

NICASIO CASLETANO, PATAVIUM.

EPIST. XII.

1. Gratulatur Casletano, quòd Patavium venerit.
 2. dolet, quòd non prius venerit, quàm ipse Romam migravit. Quem enim unius tantum diei intervallo dis-
- junctura

junctus fructum amicitiae capere potuisset, illum jam ex literarum officio quarendum esse. 3. Excusat se de tarditate literarum, nec causam fuisse scribit, cur amicum de literarum infrequentia excusaret. 4. Negat illi literas commendatitias ad Sigonium & Sophianum opus esse. 5. Cupit scire, quid Patavi agat.

PAtavium te venisse, quæ semper urbs officina quædam est habita doctrinæ, lætor equidem, communium studiorum causâ plurimum. Cerno enim jam animo, ubi tu philosophiam cum eloquentia conjunxeris, quantum ornamenti literis nostris, quantum splendoris accedet; sed mecum actum est incommodius, qui quo tempore nobis, unius diei tantum intervallò disjunctis, præsentis amicitia nostræ fructus nullò negotiò capere licuisset, quò mihi optatius, aut jucundius esse nihil potuit, nunc abesse à te cogar, & omnem suavitatis, delectationisqve nostræ ipem in tuo literarum officio reponere. Crede mihi, hæc ego curâ vehementer angor: quippe, cujus imaginem humanitatis, ingenii, eloquentiæ jam pridem vidi in epistolis tuis, ac sæpe sum animo contemplatus, ea si propius adspicerem, quâ lætitia, quâ voluptate, perfunderer? Valeant, si qui autopes, aut honorum insignia, vel illustrium virorum ambitiosas salutationes tanti æstimant, ut hæc bonis, jucundis, sapientibus, id est, tui quam simillimis amicis anteponan. Accedit ex occupationibus molestia, quibus impediòr, quo minus tecum per literas quam sæpissimè colloquar. Quod

ob eam quoque causam ad te scribo, ne mihi vitio veritas, neve oblivione, aut negligentia mea potius, quam negotiorum multitudine, factum suspiceris, quod paulo ferius fortasse, quam expectabas, epistolae tuae responderim. Nulla enim re magis, quam deserti officii memoria, crucior, nec tamen ab amicis plus, quam commodum eorum, aut etiam voluntas ferat, unquam postulo. Itaque, amicum nostrum cur excusares de infrequentia literarum, causa nihil fuit. Quidvis enim mihi potius persuaderi patiar, quam ei me absente effluxisse ex animo, quem ego praesentem quibus coluerim officiis, quaeque ad ejus salutem studia, contulerim, optimus ipse testis est. At scribit perquam raro, Fortasse aulicae vitae consuetudo ita fert. Fortasse etiam, cum velit, per negotia non licet, vel privata, vel publica: aut, si licet, nostram amicitiam, quae satis per se firma est, non modo literis, sed nec ullo prorsus officio putat esse fulciendam. Quae ego quoque in sententia, sum. Et tamen ita me comparavi jampridem; si quid ab amicis praeter meam expectationem mittitur, id ne accipiam durius; & malim omnia mitiorem in partem interpretari, quam committere, ut sanctissima necessitudinum jura suspicio, plerumque falsa, violare possit. Atque haec ipsa, nisi grave est, ad eum perscribas velim: & hoc addas, me, cum primum Romam veni, de meo statu literas ad eum dedisse; quas a communibus amicis fideli, & certo tabellario commissas, perisse non arbitror: ab eo tempore novi nihil in
 meis

meis rebus contigisse, nisi hoc novum videtur: Mihi cum hoc cœlo, cujus multi gravitatem non ferunt, adhuc quidem optimè convenire. Quod ei fore jucundissimum, certò scio. Tibi ad Carolum Sigonium, & Michaëlem Sophianum, præstantes viros, mihiqve & studiis, & amore conjunctissimos, cur literis opus esse commendatitius existimem? quasi non eorum uterqve, ut doctrinâ, sic etiam humanitate excellat. Et profectò jam tibi ad eorum amicitiam, quâ vir bonus & studiosus nemo excluditur, aditum aperuit, nullò intercessore, virtus tua; illiqve te cognitum diligunt, tuâqve in primis consuetudine delectantur. Quâ ego interdum cogitatione ita fruor, ut hac etiam specie felli me sinam, quasi ipse vestris deambulationibus, & sermonibus intersim. Ego hîc, nisi me noctes aliquando adjuvissent, caruissem, prorsus literulis nostris, quarum suavitate pascor. Nunc, æquatò jam noctibus dierum spatiò, verëor, ne non otii, quantum vellem, relinqvatur. Tu quàm libenter Patavii sis, quàmqve diu te futurum putes, quò utaris in philosophia doctore, (nam Genuam, omnium facilè principem, rariore jam dentium ordine, minus explânatè loqui ajebant) hæc si ad me scripseris, & simul de singulis publicè intrepertantibus quid sentias; duplicem fructum capiam, & quòd ea, quæ scire aveo cognoscam, & quòd ex literis tuis, in quibus vernaculum illum Romani sermonis leporem, & planè Ciceronianam elegantiam mihi videor agnoscere. Vale. Romæ. IV. Id. Mart. M. D. LXII.

HORATIO CARDANETO,
PERUSIAM.

EPIST. XIII.

Respondet ad Conciliatoriam Epistolam Cardaneti, & primo illi gratias agit, quòd se prior ad amicitiam elegantissimâ epistolâ provocârit. Deinde, par pari se relaturum promittit. Denique illi de elegancia Latini sermonis gratulatur.

Form. gratias agendi. Ibi: Tantum tibi debeo.

(A)

DE virtute rectè sentis. Ea conjungit absentes, & in eos, quos nunquam vidimus, amorem, conciliat. Quòd autem, ut me, quasi aliquâ virtute præditum, diligeres, adductum te significas: amplector voluntatem tuam: de amoris causâ non disputo. Sit ita, ut existimas; vel potius, existimes, quod lubet. Nam ego me tibi, qui sim, nunquam aperiam; ne de amore in me tuo, quem video esse non vulgarem, aliquid atque adeò multum detrahatur. Ego tibi, primum quòd honorificè de me sentias, deinde quòd id ipsum elegantissimâ mihi declarandum epistolâ putaveris, tantum debeo, (A) quantum intelligo persolvi à me vix posse. Nam, etsi nullum à me officium, aut studium, quod ad tuam laudem, aut rem pertineat, desiderari à me patiar: tamen, quòd tu me prior tuâ sponte ad jungendam inter nos amicitiam provocaveris, par pari referre, vel si omnia tuâ causâ præstem, nunquam videbor. Quid, quòd ista humanitas, quæ me tibi devinxisti plurimum, ingenii,

nii, eloquentiæ, doctrinæque laude cumulatur? quæ faciliè apparent in literis tuis, itaque destitutum eas legendas filio meo: ut exemplò tuò commoveretur, & quasi tua per vestigia ad eandem gloriam contenderet. Tibi autem vehementer gratulor, quòd tam præclaram Latinè scribendi facultatem sis adeptus, proprio tu quidem naturæ munere; verùm nisi accessisset Grifoli mei, viri doctissimi, atque integerrimi, egregia disciplina, & ad disciplinam studium, & industria tua, nunquam is fuisses, cui possent invidere multi, similes esse paucissimi. Româ discessisse Joh. Baptistam Titium, probum juvenem, & in primis eruditum, antea magnopere dolebam; nunc eò minus anger, quòd vos unà esse, & colloqui de studiis communibus, ex literis tuis intellexi: ex quo non dubito, quin fructus ad utrumque, ut in literis uterque excellit, maximi perveniant. Salutem ei meo nomine, si modo adhuc istic est, dices; sin discessit, quòd tuâ causâ nolim, literis adscribes. Vale. Romæ. XI. Kalend. Quinct. M. D. LXII.

CHRISTOPHORO SAXO,
PERUSIAM.

EPIST. XVI.

Conciliatoria, qua testimonio Cardaneti commotus, se ad amicitiam ejus applicat, scripta laudat, quibus adductus ipsum maximis viris comparat, & denique ut oculorum invalentudinem æquo animo ferat, hortatur.

HOratium Cardanetum, licet ignotum mihi de facie, tamen, ob ejus excellentem doctrinam, & eloquentiam, vehementer diligo. Is mihi disertissimâ epistolâ non vulgarem virtutis tuæ significationem dedit: cujus testimoniô commotus, vel si tua scripta nunquam legissem, nihilque ex aliorum sermone de tuis optimis institutis, ac studiis cognovissem, tamen ita statuerẽ, te mihi non modò amandum, verùm etiam, quantum in me esset, ornandum: si modò ornamenta desiderat virtus tua, quæ te ipsum jam pridem, istamq; civitatem illustrat. Sed, mihi crede, uberiùs nemo de te, aut honorificentius loquitur; nemo mihi pluris est, quam Rhetor tuus: cujus facultate, & copia facile sum adductus, ut comparem te maximis viris, tuâq; causâ, quæ possum, quæque etiam non possum, cupiam. Quod si credideris: jure à te fieri senties, quod nunc si facis, tuâ sponte, non meo merito, facis, ut me diligas: & expectabis à me eadem, quæ à familiarissimis tuis: quorum, pro tua probitate, & eruditione summâ, numerum audio esse quàm maximum. Tuis oculis restitui cupio, vel quod assiduus librorum usus, vel ætas jam ipsa, ad omnem corporis infirmitatem proclivior, ademit. Tu tamen, quando animo, ac mente vides ea, quæ simul cum oculis amitti non possunt, frere cogitationibus tuis, & forti animo feras hoc, quidquid est incommodo. Malum enim, aut calamitatem, quò tu vocabulò usus es, nunquam vocabo id, quod à culpa se junctum esse crediderim. Vale. Romæ.

†.
EPIST. XV.

Expostulat cum amico Anonymo, quòd post annum demum sibi gratulatus sit de Romana migratione; & refutatis quibusdam causis, quas hujus sue tarditatis asserre possit, ponit unam, quam si is eâ uteretur, cogitur admittere. Deinde honores à se non captari scribit.

NB. Amor non sinit inter amicos officia numerari.

Cùm tuas literas legere cœpisssem, in quibus mihi amantissimè, quòd ad Urbem migraverim, gratulararis, primùm accusavi tabellariorum incuriam, qui eas tam ferò pertulissent: deinde, cùm ad clausulam legendo pervenissem, liberavi culpâ tabellarios, de te cœpi quærere, quòd etiam nunc quærero, quid consilii tui fuerit, ut, qui primis diebus, aut etiam primis mensibus adventus mei nullam omnino latitiæ tuæ significationem dedisses, idem post annum deniq; & eò amplius, ommissum, ante te consilium gratulandi, repetendum putaveris. Neq; enim hanc asserre causam potes, quòd eò tempore minùs commodè se haberent Romanæ res, nunc autem in eo statu sint, ut gratulatione dignæ videantur. Nam contrà, quæ tunc tranquilla fati erant, nunc turbulenta multi putant: ego tamen, ut opto, sic etiam auguror, & spero, fretus infinitâ summi DEI clementiâ. & consiliis optimis Pii IV. Pontificis, qui publicæ quieti ut consulat, nullum ipse quietis partem capit, omnesq; suas curas intentò semper animò, tum in Ecclesiæ dignitate,

tate, tum in communi salute defigit. At metue-
bas, ne cœli nobis, præsertim gravioris, obesset in-
solentia. Esto: tamen hunc dissimulari metum,
decurit: & ego amicissimò homine gratulante, bo-
num omen libenter accepissem. Mores hominum
fortasse, & consuetudo aulica, & hæc propè quoti-
diana salutandi necessitas occurrebat: me contra,
otii cupidum, hujus ignarum ambitiosa observan-
tiæ, quam hic veteres incolæ humanitatem, nos
inquinum fucum appellamus, vix putabas hæc
probare posse, nedum imitari velle. Quod si ita est,
paulisper, mihi tuam in me benevolentiam possum
requirere. Partes enim videris eas abjecisse, quas
tibi imposuerat amicitia nostra. Tuum erat, idque
ego sanè exspectabam, vel præceptis erudire me,
ad hanc disciplinam aptis; vel si tibi quoque hoc
artificii genus incognitum est, hortari saltem, ut
Romana studia ne contemnerem, habendamque
loci, ac temporis, quod etiam sapientes probave-
runt, rationem putarem. Hæc ego, à te omiſſa, si
essem in exigendis officiis paulò severior, & si id
pateretur amor in te meus, jure forsitan expoſtu-
larem. Sed nihil est tanti: & cupio mihi persuade-
ri quidvis potiùs, quàm, quò ipse animò erga te
sum, eodem te erga me non esse. Ac vide, quàm
non inique tecum agam, atque adeò quantò æquior
in te sim, quàm in me ipsum. Ego, si quid in hæc
scribendi tarditate peccatum est, sæpe id utriusque
nostrum pariter adscribo, interdum etiam avertò
à te culpam, & in me totam transfero. Nam, si tu
hoc dixeris, non abjecisse te officium scribendi, sed
igno-

ignoratione rerum mearum distulisse, expectan-
 tem quotidie, ut aliquid de meo statu, non ex hu-
 manissimi, optimiq; viri, Pauli Sacrati sermone, sed
 ex meis literis cognosceres: quidquid enim scri-
 psissem, ad id tuas literas accommodaturum fuis-
 se: hoc, inquam, si dixeris, in tuto tua causa est:
 neque solum excusationem tuam agnoscere cog-
 gar, & probare, verum etiam, quod contra afferam
 ad amovendam à me culpam, fortasse non reperi-
 am. Itaque absit omnis querela: & si quid of-
 fensum in hoc genere à nobis est, vicissim alter al-
 teri largiamur. Verus amor, ac summus, quo tu
 me, ut opinor, ego certè complexus te sum, nu-
 merari inter nos, aut perpendi officia non finit.
 Quod si fructum requireret amicitia nostra, quis
 esset uberior conscientia mutuae voluntatis? Sed
 profectò non requirit; ipsaque sibi fructus est, se-
 que ipsam alit, ac sustinet. Atque e quidem recor-
 datione ipsa amicorum meorum ita pascor, ut in-
 secundis rebus nihil jucundius, in adversis hoc
 saepe maximum solatium invenerim. Honores
 autem illi, quos tu sperari à me vis, in quo adver-
 santur multa, modicè me capiunt. Quid enim ha-
 bent, quò melior fiam? quod curandum est u-
 num: aut, si hoc non habent, cur expetendi? Cur
 igitur hac specie falli me patiar, aciemque men-
 tis, homini à DEO datam, ut à malis bona distin-
 guantur, inani splendore praestingvi? Illud opte-
 mus potius, ut honesti pulchritudinem, nullà in-
 terjecta rerum humanarum nube, contemplari li-
 ceat. Quod si assequemur, contemnemus ea, quae

ceteri mirantur, & in privata vita, minimò contenti, regum fortunam adæqvabimus. Vale. Romæ. IV. Id. Octob. M.D.LXII.

MARIO NIZOLIO,
PARMAM.

EPIST. XVI.

Respondet Nizolio, & primò gaudet, se literis ab illo ad scribendum esse provocatum; deinde iudicium suum, cum illo communicat de libris varia Figurarum & argumentandi amplificandique genera complectentibus. Denique commentariis in Epistol. Cicer. ad familiares se finem impositurum scribit horis antelucanis.

DUm aliquid ad te scribere quotidie cogito, & tamen diem è die exspecto, spe vacui temporis, non modò ut commodius, sed etiam ut uberiorius possem scribere: fecit, ut ante verteret humanitas illa tua, quam ego conjunctam pari doctrina, in amore, & in ore semper habui: ac mihi quidem sive ratio ipsa, sive amor in te meus facile persuadet, ut præreptum abs te officii priorem locum, non solùm æqvò animò feram, verùm etiam gaudeam. Quid enim mihi aut est, aut esse debet optabilius, atque jucundius, quàm, à quo maxime omnium diligi cupio, eum dare operam, ut id me esse consecutum intelligam? Quod autem eorum librorum, in quibus & Figurarum & argumentandi, amplificandique varia genera complecteris, quasi specimen quoddam ad me mittendum putasti: sive tu id feceris, ut obsequerere studio
meo,

meo, cum id me valde cupere intelligeres; si-
 ve, ut eliceres iudicium meum, quod me velle
 tua causa multum, posse aliquid fortasse, hac qui-
 dem in re, animum induxisses; utroque nomine
 est sane, cur te amem, ac tibi debeam plurimum;
 nec deesse patiar, quaeque est, voluntati tuae
 iudicium meum. Ego enim, ut verè dicam, istam
 excellentem ad bene de literis merendum,
 animi tui propensionem ita probo, ut efferam
 laudibus; agere autem haec te simul omnia, & im-
 plicari tot rebus eodem tempore, quas curare,
 singulas, & conficere permagnum est, aequè pro-
 bare non possum. Nec me fugit, argumentan-
 di, amplificandi quae ratio, praesertim à te tradita,
 quem afferre fructum possit; sed Figurarum via,
 natura obscurior, praescriptis ad hanc diem minus
 cognita, usu certè parùm trita, postulare primò lo-
 cò videtur lumen aliquod doctrinae tuae, ut ad
 exoptatam omnibus eloquentiae laudem certum
 iter aliquando unius industria patefaciat. Duo
 reliqua mox: sunt enim praecleara, planeque stu-
 diò tuò digna: interim hoc unum si ages, pri-
 mum tibi ipsi laborem valde minues, sine ulla,
 tamen imminutione laudis tuae; deinde commu-
 nis desiderii expectationem, ex inveteratà jam
 tua virtutis opinione ortam, explebis aliquantò
 maturius. Quam multi enim sint, qui haec La-
 tinae orationis lumina nondum viderint, ac ne es-
 se quidem ulla suspicentur: quam pauci verò, qui,
 cum ea videant, imitandi tamen viam, & ratio-
 nem ignorent; scis ipse omnium optimè, & ju-
 dicasti

dicasti jam ab illo tempore, cum te hac ipsa de re, confecturum esse artem quandam, eamque illustraturum unius Ciceronis exemplis professus es. Nimirum diu debes, mi Nizoli, quod olim petentibus à te tribus familiarissimis tuis, tuæque gloriæ cupidissimis, Petro Bunello, Paulo Magnulo, mihi tunc adolescentulo, sæpe promissisti. Nec tamen urgere te audeo, hominem ætate infirmum, oculis non bene utentem, publico etiam docendi munere districtum: sed meam sententiam de re dicendam putavi: in quo habui rationem in primis valetudinis tuæ, veritus, ne, cum multa senex admodum susceperis, omnia perferre vix possis: te tempore autem, etsi jam indicavi non tam, quid ego, quam quid omnes cuperent, tamen ipse moderaberis ex prudentia tua, & eo quidem animo, ut, in magna expectatione nos quoque; te tuo commodo vehementer laborare, tibi persuadeas. Equidem, si me audis etiam illud suaferim, ne ad figuras oratorum similia aggregares poetarum loca; quorsum enim? Cum ab uno Cicerone omnis ubertas, & quasi sylva tum rerum, tum verborum sumi possit. Quod si poetis prodesse vis: hoc quoque; separatim fiat: bene locabitur industria: nec ego aspernor ea studia, quæ colui adolescens, & quorum ope fateor me ad aliquam oratorii numeri scientiam facile pervenisse. Nunc labores velim & hanc unam, & simplicem, omnium, ut ego sentio, maximam, ac difficillimam eloquentiæ partem. Quo in genere, sive tu verborum, sive sententiarum ornamenta quaras, non video, cur uno Cicerone,

contentus esse non possis. Mihi quidem, cum
 immensas ejus opes intentis oculis contemplor,
 egerè interdum ipsa penè Græcia videtur. Certè
 de nostris, qui ad eandem laudem adspirare po-
 tuerit, neque fuisse antea, neque fore quemquam
 puto. Dixi, quid sentirem, ingenuè pro mea
 consuetudine, libenter pro amore in te veterri-
 mo, atque verissimo. Tu quid statuas, utrum in-
 stituta commutes, an ut cæpisti pergas, pro tua
 singulari sapientia judicabis. Commentarios
 meos in epistolas Ciceronis, quæ familiares vocan-
 tur, cum à te expectari video, augeri mihi animos
 ad scribendum sentio: & quanquam tu non
 instes: admoneri tamen videor, ut absolvam.
 Sed hoc nec sine otio fieri potest: & Romæ otium
 optare, ejus est, qui Romam ipsam ignoret, aut, qui,
 quod accidat, universis, in eo sibi præcipuam con-
 ditionem sperare solus audeat. Sed, quia cessa-
 mus inviti; & quia, quod fuit in opere difficilius,
 transactum jam est: enitemur, ut reliqua diu non
 desiderentur. Angustia temporis obstabunt:
 at detrudere aliquid somno, & conferre ad elucu-
 brandum licebit. Turpe enim nobis est, qui ver-
 samur in artium nobilissimarum studiis, anteluca-
 nâ vinci leviorum opificum industriâ; præsertim
 cum illi nihil, præter ea, quæ corpori serviunt; &
 vetustate corrumpuntur, nos animi fructum
 cum nominis immortalitate quæramus.

Vale. Romæ. IV. Kalend. Decembr.

M. D. LXII.

PAULI MANUTII
ANDRÆ GOSTINIO,
CRACOVIAM.

EPIST. XVII.

*Respondet ad epistolam Gostini, & missam ad se e-
jus orationem laudat ab eloquentia: in qua excolenda,
ut pergat, ipsum hortatur: Deinde ipsum de rerum fu-
arum statu certiozem facit, & inter varias occupatio-
nes invitum se à literarum studiis divelli scribit.*

Form. hortandi: Perge, mi Gostini (A)

Form. offerendi alteri sua officia. Ibi. Ego tibi.

(B)

RECTÈ conjecisti, obrui me planè negotiorum fluctibus. Nam, qvi antea, cum essem Venetiis, vel infimi ordinis hominibus respondere ad me scribentibus consvèsssem; scilicet Andræ Gostinio doctissimo, & eloquentissimo viro, summa apud Principes auctoritate, & gratià, humanissimè scribenti, nihil rescriberem? Tum vero me, hominem non esse, minimeqve dignum iis literis putarem, quibus ab ineunte ætate ita meum studium dedi, nihil ut antiqvius habuerim, nihil omninò duxerim præstantius. Feci tamen in summis occupationibus, ut orationem tuam legerem: de qua sic statuo, scriptam esse graviter, & ornatè, sic, ut ex ista provincia, quæ nunc egregiis floret ingeniis, tibi comparem paucos, antepo nam neminem. Quo sanè nomine vehementer tibi gratulor, & liberalibus disciplinis, quibus ab ista eloquentia quantum ornamenti possit accedere, mente jam prospicio. Perge, mi Gostini,

(A)per

(A) per eam viam, quæ te à immortalẽ gloriam ducit. Nihil optabilius sapienti, quàm ea quere-
re, quæ vulgus contemnit; eos vitæ terminos, quos natura præscripsit, virtute proferre. Quod tu potes, & velle debes, & ut velis, ego te, amicitia causâ nuper inter nos institutâ, non solum moneo, verum etiam rogo. De migratione nostra video te ex aliorum literis cognovisse. Nunc ex meis hoc scito ampliùs, cum hic honestissimorum hominum & benevolentia, & consuetudine fruar, nec mihi quidquam in mentem venerit optare, ac petere, quod à summo Pontifice Pio IV. non facilè sim consecutus; angi me tamen, quod studiis nostris, quorum quæ sit suavitas, ipse optimè nosti, ita divellar, ut ex iis, quæ pro communi utilitate non pauca eram exorsus, pertexere nihil liceat. Quam jacturam, fortasse re minimam, tamen, ut adjuvandas bonas artes animi mei pro- pensio est, fero molestissimè. Quocirca tibi jam, tuiq; similibus, qui mihi voluntate pares, doctrinâ & otio præstant, cogor tradere vigiliam meam: idq; facio libentissimè, qui publici commodi rationem ipsam per se, non cum mea laude conjunctam, plurimi semper fecerim. (B) Ego tibi, si quid operæ navare possim, id totum polliceor, ac defero. Serviam libentissimè, quantum in me erit, voluntati, commodisq; tuis. Vale, & Petrum Miscovium, Andream Patricium, singulares viros, quibus fortasse excidimus, intermissô literarum officio, rogo te, meis verbis diligenter saluta. Romæ.

PAULI MANUTII
FRANCISCO MORANDO,
VERONAM.

EPIST. XVIII.

Primò gratias agit Morando, de conciliata sibi Julii Justii Comitii amicitia. 2. De dilata Nangerii professione scribit. 3. Orationem ab ipso limari probat. 4. De rebus suis quaedam adjungit.

Form. Laudare literarum elegantiam. Ibi: Vicit opinionem meam. (A)

Form. Adulationis suspicionem à se amovere. Ibi: Non loquor ad gratiam. (B)

Form. Laus viri nobilis. Ibi: Huic viro. (C)

EX omnibus officiis, quæ in me plurima contulisti, quæ cogitare sæpe soleo, nullum mihi scito pluris esse, quam quòd operam dederis, ut Julii Justii, Comitii omni laude cumulati, amicitiam consequerer. Nam, etsi antea, testimoniò adductus tuò, præstare eum literis, ingeniò, humanitate existimabam: tamen vicit opinionem meam (A) illius epistola, sanè ita luculenter scripta, ut ad antiquorum eloquentiam proximè accedat. Non loquor ad gratiam: (B) neq; id amicitia nostra, nec natura mea patitur. Huic viro, (C) si cum generis nobilitate spectatur virtus, quanquam nihil est ipsà virtute nobilius, qui præferri possit, neminem video; itaque illum in oculis sero, ornare etiam laudibus cogito, & meam observantiam, si fieri poterit, apud posteros testatam relinquere. Tu, si sponderis ei de me, quæcumq; ab homine conjunctissimo expectari solent, gratissimum fe-

ceris.

ceris. Naugerius controversâ quâdam impeditus, tibi, ut arbitror, non ignotâ, suam profectio-
nem distulit invitus. Nunc nihil obstat, præter ani-
ni tempus, quò minùs in viam se det, quantum di-
vino. Si Pontifex Bononiam se conferet, de quo ru-
mor penè raucus factus est, itineris comitem se,
præbebit: sin minùs, circiter Kalendas Martias, re-
missione frigoris, discedet. Orationem tuam lice-
re tibi diutiùs, quàm volueras, limare ac perpolire,
non molestè fero; at obtrectatio laudem minuet:
quasi præstare idem, si temporis ad scribendum,
tantundem daretur, quivis posset. Tu hoc suscipia-
ris: ego secus. Nam boni, & rectè intelligentes, ip-
sam rem æquissimis animis æstimabunt: improbi
& imperiti quid sentiant, laborandum non est. A-
lioqui negotium nobis nunquam deerit. De rebus
meis, hoc unum, quò lætari possis, accipe: frui me
multorum benevolentia: cetera satis frigent.
Causam conferamus in tempora: nam ab homini-
bus libenter culpam avertō. Pontificis quidem,
præstantem animum ita variæ itaq; graves distra-
hant curæ, ut ignorare multa cogatur, multa eti-
am delegare aliis, qui præter suum negotium nihil
curant. Valet filius, & res Romanas cupidè tra-
ctat, quibus libellum suum de Orthographia non
mediocriter locupletavit. Vale. Romæ. XII. Ka-
lend. Februar. M. D. LXIII.

JULIO JUSTO, VERONAM.

EPIST. XIX.

Respondet conciliatoria epistola Julii Justo, & i. be-

neve-

nevolentiam suam ega ipsum illâ auctam esse, scribit.
 2. *Laudat illum non tam à bonis fortune, quibus abundat, quàm à bonis animi, quæ adolescens etiam sectatus sit.* 3. *Ex laudibus in se coniectis duplicem fructum se percepisse scribit, & quòd se jam nosse cøperit, & quòd laborandum sibi sit, ut laudibus illis aliquo modo respondeat.* 4. *Denique congressum illius exoptat.*

FRANCISCUS MORANDUS, vir sanè ita probus, veriçve cultor, ut neminem unquam fallat: ita ingenio, doctrinâ, prudentiaçve excellens, ut falli ipse non possit, multa mihi Venetiis, cum unâ jucundissimè viveremus, de tua singulari scientia, integritate, suavitate morum, & eximia quædam ad omnes artes, nobili viro dignas, propensione sæpe prædicare solitus est. Credebam facilè tali viro affirmanti, teçve amabam vehementer, ejus testimonio permotus: sed quantò eadem vidi illustrius, atçve apertius in literis tuis, quas ad me quò longiores, eò gratiores proximè misisti. Itaque ad priorem illam voluntatem, quam in te antea tantam contuleram, ut ad eam accedere nihil posse videretur, accessio tamen ejusmodi facta est, ut eorum studiis, qui te, & summâ, & pervetère necessitudine attingunt, facilè se æqvaverit amor meus. Nec verò me afficiunt illa, quæ multis prima sunt, familiæ dignitas, amplæ clientelæ, & earum rerum, quas fortuna suppeditat, copia. Neçve omninò hoc de genere nunc disputo. Optent, si qui hæc non habent; & qui habent, honestè fruantur. Sed, esse quædam

dam haud paulò præstantiora, quæ neque extrinsecus affluant, & semel adscita nunquam remouentur, quis, nisi sanæ mentis expers, dubitavit unquam? Quæ tu, cum illa quoque possideres, à maioribus parata, à præstante viro parente tuo aucta, ita tibi acquirenda existimasti, quasi hæc sola tui juris, vereque tua propria futura essent, reliquæ ad de parum, aut etiam nihil attinerent. Macete istâ sapientiâ, istaque virtute. Qui enim, subdita rectè vivendi ratione, corpori se minimum, animo debere plurimum sentit: qui ita factus, itaque institutus est, ut imperet iis rebus, quibus alii seruiunt; voluptatem nullam amet, ab honesto se iunctam; ipsamque honesti speciem ita contempletur, ut in ea totus hæreat: is vitæ fructum caput; is honorum vocabula contemnit, quique verus honor sit, & unde manet, quidque vera nobilitas à fucata distet, solus intelligit. Hæc te olim videre, ac sentire adolescentem, cum tibi ipse, dux esses in rebus egregiis ita strenuus, itaque certus, ut nec ætas illa, quam plurimos in optimo cursu remorari solita, languidiorem faceret, nec æqualium error à proposita gloria deflecteret, iure mirabantur multi: nunc isto ductum sensu, istâ incitatum voluntate, mirabiliter adjuuante naturâ, fortunâ nunquam adversante, cujus etiam commoda, quibus ad nequitiam abutuntur multi, ad virtutis usum convertisti, pervenisse ad eam laudem, quo adspirare paucissimis licet, cur miremur? incendi potius imitandi cupiditate, & commoveri exemplò debemus. Equidem, à qua ho-

ra legi epistolam tuam, quâ nescio, an quidquam
 gravius, aut elegantius adhuc viderim, tantum
 abest, ut assentatus mihi sim ob eas laudes, quas
 in me pleno modio contulisti, ut etiam, si, quam
 antea de me ipso opinionem susceperam, quæ san-
 nè per exigua fuit, planè omnem deposuerim.
 Quod si, se ipsum nosse, tanti semper fuit, ut inter
 saluberrima, humanæque vitæ necessaria præce-
 pta hoc præcipuè veteres illi Apollinis oraculo
 tribuerent: quantum à te habeo beneficium, quas
 tibi debeo gratias, quòd, ut ipse me penitus in-
 spicerem, ac mihi posthac essem notior, effecisti?
 Neque hoc simplex lucrum est, quòd, revocatâ ad
 veritatem ratione, cœpi me minùs diligere: sed
 accedit illud, quod acuisi industriam meam, ut
 conformarem me, quatenus liceret, ad iudicium
 tuum, & quibus me laudibus ornandum putasti,
 iis aliquâ saltem ex parte respondere possem.
 Quamquam, si tu me, quem ames, dignum jam exi-
 stimas: cuius præmii spe evigilem, aut quid labo-
 rem amplius? Uberrimum cepi fructum studio-
 rum meorum: nulla mihi merces amicitia tuâ
 præstantior, nulla carior esse potest: in ea tantum
 pono, quanti virtutem æstimo, quam certè omni-
 bus rebus antepono. Congressum nostrum ita
 exopto, ut tibi non concedam: nec tamen spera-
 re audeo futurum, ut unâ esse possimus: nisi si,
 qualia sæpe multa contingunt, ejusmodi aliquid
 præter spem dies afferat, præsertim publicis rebus
 ita fluctuantibus, ut mutari multa possint: utinam
 jacturâ levi, quod equidem spero: veruntamen,
 si qua

si quæ res orbem converterit rationum mearum, lenietur incommodum spe consuetudinis tuæ: Morandi quidem nostri, hominis humanissimi, atque doctissimi, convictu domestico, quotidianisque sermonibus non dubito quin perfruar. Vale. Romæ, XII. Kal. Febr. M.D.LXII.

MARIO CORRADO,
BRUNDUSIUM.

EPIST. XX.

Queritur de literarum raritate, quòd videlicet nec ipse ad Marium, nec Marius ad se crebrò scribat; & utrumque excusat: se quidem propter occupationes: illum verò propter modestiam, quòd nolit sibi rescribendi onus imponere. Rogat autem Marium, ut, si forte paulò diutius sileat, responsum à se per literas Latinas exigat.

Si mihi omnia planè hic essent secundissima, quòd utinam aliquando contingat; adhuc quidem adversi nihil est, quòd ad rem domesticam & meam, meorumque valetudinem pertinet: aliquis tamen in summo gaudio dolori locus esset, quòd nec ipse ad te, ut interdum Venetiis solebam, præ occupatione quidquam possum scribere; & simul fructu careo literarum tuarum suavissimo: quò nihil ferre molestius possum, captus elegantia sermonis tui, eaque maximi erga me amoris significatione; quæ licet minimè necessaria sit, si quavando tamen in literis elucet, amanti nihil gratius, nihil jucundius est: Quamquam hoc ipso nomine, quòd ad me tam raro scribis, cur ego te, mi Mari, non amem magis etiam, quam soleo;

si modò id fieri possit? agnosco enim modestiam
 tuam: agnosco humanitatem. Nunquam tu hoc
 officium, quò absentes colloquimur & cogitatio-
 ne saltem conjungimur, quò quidem utrique no-
 strum nihil optabilius existimo, intermissum esse
 patereris, nisi veritus esses, ne mihi diligentia tua,
 curis assiduis distento, rescribendi onus impone-
 ret. Quod si ita est: cessare tamen te, qui vacas,
 prorsus nolim. Mihi verò hoc juris non arrogo,
 ne nunquam rescribam: sed hoc, te permittente,
 fumo, ut in commodò meò fiat. Negligentià me
 peccare in hoc genere non putato. Quòd si me-
 morià meà parum confides, & diu responsum tibi
 à me deberi non patieris, admonebis, cum vide-
 bitur, atq; adeò exiges. Nunquam mihi in ap-
 pellando, modò, ut soles, Latine appelles, mole-
 stus eris: quin etiam gratiam inibis, quòd effi-
 ces, ut cum aliquo solvam lucro, crebrò regustan-
 dis epistolis tuis, quas lego libentissimè. Vale.

EIDEM, BRUNDUSIUM.

EPIST. XXI.

*Excusas se de literarum intermissione, & postquam
 probavit, suam ergà ipsum voluntatem, & filii observan-
 tiam nullo modo mutatam esse, culpam silentii trans-
 fere in ipsum Marium, cujus literas, uti & promissus
 Inscriptiões non acceperit.*

*Form. Valde te diligo. Ibi: Unicè enim te dili-
 gimus. (A)*

*Form. Respondendi ad object. At nihil ad te lite-
 rarum. Ibi. (B)*

Noli.

NOLI, obsecro, secus quàm debes, & quàm te dignum est, aut de mea in te voluntate, aut de filii observantia suspicari. Unicè enim te diligimus, (A) sic planè, ut in eis necessariis, quibuscum quotidie vivimus, quosqve in oculis pro summis eorum meritis gestamus, Marium Corradum, quem nunquam vidimus, numerare soleamus. Si dubitas, testes dabo. Testes dico? cum unus instar omnium esse possit. Nam Petrus Perpinianus, de cujus probitate, & doctrina non tu sentis melius, quam ego, ex multis meis sermonibus, quo tu apud me loco sis, quantumq; tibi tribuam, optimè conjecit. De filio autem quid putas? an tenero ejus animo persuaderi quidquam posse, quòd à meo judicio, meaq; consuetudine abhorreat? mihi crede: cum illum egregius imbui studiis exopto, imitari cum laude possit domesticam industriam: tum hoc volo in primis, & hoc illi præcipio semper, ut amet eos tantum, qui virtute excellant, & quos amari, ac laudari à me senserit. In quò magnam capio voluptatem, quòd eum video præceptis meis locum non relinquere, & in hanc sententiam suà sponte ita propendere, quasi propriam in eo sitam esse laudem existimet. Itaque sumus erga te pariter animati, nec amicitia tuà quidquam carius, aut antiquius habemus: meritò id quidem: quid enim te amabilius? quis te vincit humanitate, literis, eloquentià? nostri verò, nisi me signa fallunt, quæ tamen obscura non sunt, quis cupidior, aut etiam studiosior? At nihil ad te literarum (B) per tot menses, Vis tu

nos alieni peccati culpam sustinere? Non arbitror esse tam injustum: neque hoc humanitas, & consuetudo tua fert. Accusâ eos, quibus id negotii dederas, ut literas ad nos tuas perferrent, & quarum in desiderio diu fuimus, & mirabamur, cum sis in scribendo minimè impiger, & cum ad Perpinianum bene longas epistolas mitteres, nos à te, tuos veteres amicos, ne schedulam quidem, aut literam accipere, cum præsertim de Inscriptionibus antiquis à filio meo, qui M. Brutum in eo imitatur, quia, quod vult, valde vult, rogatus esses. Quare nostram causam debes æquam judicare, & arbitrari, id quod res est, si tuas literas, aut etiam sine literis, Inscriptiones accepissemus, nunquam nos commissuros fuisse, ut officium nostrum desiderare posses. Nam Palia tuus Aldi mei sitim suis promissis incendit, re nondum sedavit. Vale. Marcello fratri tuo salutem dices meis verbis. Romæ, XV. Kalend. Febr. M.D.LXIII.

†, EPISCOPO CREATO.

EPIST. XXII.

Gratulatur Andr. Dudithio de Episcopatu Quinquecelesensi, eumque hortatur, ut hanc dignitatem ad gloriam Dei conferat. (Nomen hujus Dudithii est omisum: quia Dudithius hic postea abdicavit se Episcopatu, & religionem Evangelicam amplexus, Vratislavia domicilium fixit, ibique mortuus est Anno 1589.)

Hortandi form. Nisi tuos ad laudem. (A)

Et si,

ET si, de futuris rebus affirmare gravitatis, & prudentiæ non videtur: conjecturam enim, sæpe fallit eventus, & obscuritatis plena sunt omnia; si quis tamen eas persequitur divinandi vias, quæ ab excellentibus & ingeniis, & studiis, à cognita industriâ, à spectatâ virtute ducuntur: hunc ego opinionis errore nunquam labi, hunc optimum esse vatem existimo. Quæ me ratio movit ante aliquot annos, ut de tua dignitate, prædicerem ea, quæ partim consecuta jam sunt, partim sic à me expectantur, quasi longè non absint. Quid enim agebant, & quò spectabant curæ illæ tuæ, ab ipsa penè pueritia susceptæ? Quæ res, quæ spes tibi proposita fuit, cum Reginaldi Poli Cardinalis, innocentia & literis eximii contubernium, ac domesticam consuetudinem expectabas? Quid, cum Lutetiæ, post obitum Poli, Vi-comercato, Patavii, Genuæ, præstantibus in Philosophia viris, operam dabas? Quidquamne sequere præter ea, quæ qui adipiscuntur, omni honore digni & habentur, & sunt? Nos quidem te, amici tui, Patavii præclara studia ita complexum, ut divelli vix posses, cum & creberrimæ propinquo- rum literæ in patriam revocarent, & præsens frater non modò hortaretur ad reditum, verum precibus etiam peteret, atque obsecraret, vi propemodum extrusimus, inviti omnino, quibus carendum te esset, cujus consuetudine nihil suavius; sed ita duximus expedire tuæ laudi: cum intelligeremus, quantum futura esset illustrior ingenii tui facultas, ab otio literarum ad res gerendas traducta, præ-

fertim in ista provincia, in qua tibi majorum tuo-
 rum virtus tritum iter ad gloriam reliquisset: isto
 Imperatore, quo nemo bonas artes excipit libera-
 lius: his etiam temporibus, cum Christiana Resp.
 domesticis hostibus vexata, ab iis, qui eam doctri-
 nam, probitate, prudentiam juvare plurimum pos-
 sunt, id est, à tui similibus opem poscere videatur.
 Quocirca primum tibi gratulor ob actiones illas
 Tridentinas, in quibus ostendisti sapem, ut audio,
 pro communi salute lumen animi, ingeniumque tui;
 nunquam inops à consilio in ambiguis rebus, nun-
 quam in maximis ac difficillimis à constantia reli-
 ctus: deinde verò, quòd tantorum meritorum,
 egregie memor optimus & sapientissimus Imper-
 ator non solum Quinquevicesensi te ornavit
 Episcopatu, qui summis viris deferri solitus hon-
 or est, verum etiam ad arcanas res admissum iis
 interesse consiliis voluerit, unde manat cum
 CHRISTI gloria provinciarum salus, unde profi-
 ciscuntur ea, quæ multis re, exemplò omnibus ex-
 pediunt. Omnibus enim utile illud est, quòd Prin-
 cipibus Christianis rectè imperandi ratio, & e-
 mendatæ disciplinæ formula præscribitur. Atque
 equidem videre jam videor, & planè conjecturam
 prospicio qualis & quantus in isto munere, ho-
 norum omnium, beneque intelligentium senten-
 tià, sis futurus, tum eloquentiam, quàm excellis, tum
 ratione, prudentiam, integritate, quæ in omnibus
 natura ipsa inchoat, industria perficit in paucis.
 Quod nisi ita fore considerem, & nisi tuos ad lau-
 dem impetus jam inde ab eo tempore, cum te mi-
 hi qua-

hi quasi meis informandum sermonibus tradidisti, probè cognitos haberem: facerem id, quod tu, ut opinor, amorì in te meo facilè concederes: hortarer te, & precibus etiam agerem, iisdem scilicet, quibus agerem cum filio meo, si isto loco esset: ut assiduè cogitares, quam personam gereres, quàm gravem, quàm illustrem, à quo impositam Principe: qui cum suum de te iudicium beneficiò maximò declaraverit, beneficium tamen ipsum significatione iudicii sui vehementer auxit. Quid enim putas esse in rebus humanis optabilius, quàm ei non displicere, qui nisi Deo valde placeret, valdequè carus esset, incursione & vi barbararum gentium vastarentur omnia, legibus, moribus, hominibus, urbibus denique ipsis extremum impenderet exitium? Multa sunt opinionibus hominum excelsa, atque ampla: quæ si quis consequi vult, curas suscipiat, labores perferat, de ipsa interdum vitâ periclitetur necesse est. Hæc tibi, mihi, (meum enim adhuc appello, nec, ut spero, ista mihi te dignitas immutavit) hæc, inquam, tibi cogitanda non sunt. Nam quid tu non habes, cum hoc habes unum, ut mores, ingenium, studia tua Ferdinandus Imperator probet? Hoc ejusmodi est, ut neque diu solum esse possit, & si omnia, consequantur, omnia tamen unum vincat. Quare isto bono sic frui, quasi fonte & capite bonorum omnium, & quasi omnium maximò. Tuos verò sensus, tuas actiones in omni vita, non dubito, quin ad immortalis DEI gloriam conferas. Sic educatus, sic eruditus es. Hanc ego tibi laudem

tribuebam adolescenti: nunc, si verear, ut robustior aliter sentias, ac tui te dissimilem præbeas, faciam imprudenter. Retine igitur institutum, & persuade aliis exemplò tuò, verum decus in bene agendì perpetuitate positum esse: nihil opes ad laudem, nihil præfecturas valere: obsolescere prorsus horum insignia, nisi splendor virtutis accedat. Quod quia te sentire certò scio, propterea tibi ex animo, vereqve gratulor accessione dignitatis tuæ: &, quanquam variis distinebar curis, feci tamen libenter, ut hanc ad te, indicem lætitiæ meæ, testemqve voluptatis, epistolam mitterem. Cui si responderis, jucundum tibi fuisse officium meum intelligam; sin minùs, molestum tamen fuisse nunquam putabo: & occupationibus hoc tuis, illud amori tribuam. Vale. Romæ, Kal. Januar. M. D. LXIV.

DECIO BRANCALEONI,
NEAPOLIM.

EPIST. XXIII.

Respondet Conciliatoriae Epist. Decii, & 1. se excusat propter occupationes de intermisso respondendi officio. 2. (illum hortatur, vel potiùs) illi gratulatur, quòd at aatem illam, quam alii ad inanes voluptates descedere solent, ad virtutem conferat; utque illam mentem DEO acceptam referat, ipsum hortatur.

Form. Excusandi silentium. Ibi: Nisi tibi nota esset. (A)

Form. Adulationem à se amovere: Nec me putes blandiri. (B)

Nisi tibi nota esset (A) occupatio mea, vererer
 in primis, ne accusares officium meum, qui li-
 teris tuis, amantissimè scriptis, nihil adhuc respon-
 derim. Ego, mi Deci, hoc mihi juris assumo cum
 amicis, ut, si quid ad eos magnopere non pertinet,
 à me verò non satis commodò meò fieri potest, o-
 mittam interdum, aut in aliud tempus rejiciam.
 Te verò cur in meis necessariis non numerem, vel
 Cambii mei testimonio, qui tuam in me benevo-
 lentiam prædicare solitus est; vel affirmatione,
 tuarum literarum, ex quibus duplicem volupta-
 tem cepi: & quòd amari me abs te cognoverim; &
 quòd eum te esse, quem quoniam non amet, hominem
 non esse contenderim? Nec me putes blandiri (B)
 velle: Sic equidem loquor, ut sentio. Præclara
 virtutis fundamenta jecisti: signa video non ob-
 scura, nec dubia tum studii, tum ingenii: nec hor-
 tari magis, quam gratulari debeo: cum tu, quâ æ-
 tate multi ad inanes voluptates deflectunt, in eâ
 solidam laudem quæras, & propemodum inventâ
 gaudere possis. Nec dubito, quin istam mentem,
 & quidquid ex ea tibi manat gloriæ, vel commodi,
 totum, quantumcunq; futurum est, acceptum,
 Deo referre velis. Quod si facis, nã tu mihi mul-
 tò amabilior es: tibi que ipse optimè consulis, cum
 falsam speciem felicitatis humanæ à veri boni pos-
 sessione distingvis. Vale, & Cambium nostrum,
 juvenem eximie humanitatis, cupidumq; omni-
 um liberalium doctrinarum, saluta meis ver-
 bis. Romæ, IX. Idus Quinct.

c l c LXIV.

EIDEM

PAULI MANUTII
EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXIV.

Excusat se de silentio propter occupationes, qua cum ipsi non sint ignota, miratur officium suum ab ipso requiri.

Form. Deferre alicui sua studia. Ibi: Nam in iis, quæ tuâ interesse. &c. (A)

Form. Pollicendi mutuum amorem. Ibi: Equidem in te amando. (B)

Miramur uterque: tu, quòd literis tuis non responderim: ego, quòd eò me nomine appelles, atque officium meum requiras. Quid? tu solus ignoras, quibus distinear curis? Quantis rerum oneribus premar? quàm nunquam vacem? nec tamen deserere officium soleo. Nunquam id mea vel consuetudo, vel natura pateretur. At non rescripsi. Excusat me literarum tuarum argumentum. Petebas à me scripta mea, quæ corrigere cum vellem, otium nunquam nactus, comprimenda potius, quam emittenda, judicavi: idque sum arbitratus licere mihi per humanitatem tuam. Hoc ipsum, inquires, scripsisse te vellem. Hoc ipsum te quoque suspicari decuit: & erat amoris, & ego, id te cogitare, aut ad aliam saltem causam referre silentium meum, libenter mihi persuasi. In quo si tu me putas indulgere mihi plus, quam oporteat: assentiar cum eâ fortasse conditione, ut te quoque plus à me, quàm par sit, exigere fatearis. Nam in iis, quæ tuâ interesse (A) cognovero, nulla, mihi crede, impediēt occupatio, quò minus amici-

amicitiæ nostræ debitum officium præstem. Inanes autem literas ut mittam, vix impetrarem à me ipso, si otio abundarem; quid, cum egeam vel maxime? Eqvidem, in te amando (B) partes ut meæ desiderentur, nunquam committam. Idemq; à te peterem, nisi voluntatis in me tuæ testes epistolas tuas, Cambium autem nostrum, quem æquè diligimus, quasi sponforem haberem. Adventum tuum, de quo spem rursus injecisti, avidè exspecto. Vale. Romæ. III. Non. Feb. M.D.LXV.

ANTONIO FURNARIO,
NEAPOLIM.

EPIST. XXV.

Respondet ad petitionem Furnarii de indice corrigendo: quod ejus negotium à se rectè curaturum esse scribit.

ET æqua petis: & nihil est, quod ego tibi, pro tua præstanti virtute, non libenter tribuam. Itaque licet iis distinerer curis, quibus respirandi locus non esset: potius tamen habui nihil, quam ut adirem ad eos, qui cum Indicem correxerint, ejusdem interpretandi scientiam maximè omnium tenent. Ii sunt quatuor viri, doctrinâ, & dignitate non vulgari, humanitate etiam tantâ, quantam ego summam cognoverim. Quorum unus, vetere mihi necessitudine conjunctus, eloquentiâ princeps, Mucius Calinus, Archiepiscopus Jadrensis, cum literas tuas legisset, incendi aliquâ tui cognoscendi cupiditate visus est, extulitq; laudibus ingenium tuum, assentiente me. Deinde, acturum se

se cum collegis de tua re diligenter, pollicitus, bi-
 duo post ita mihi respondit: si qui sint Astrologiæ
 judiciariæ libri, qui certò aliquid non affirmant,
 eos legi tutò posse: totamq; hanc esse partem in
 Indice disertis verbis ita explicatam, ut nihil ad-
 dendum videatur: Episcopis providendi, ne pec-
 cetur, facultatem esse permissam: iis se nihil præ-
 scribere neque velle, neque posse: nec dubitan-
 dum, quin ii pro salute animorum, & religionis
 nostræ commodò, atque ornamento egregiè ad-
 ministrant omnia. Hæc de negotio tuo: in quo
 præstiti, quæ sunt in me, diligentiam, & fidem:
 reliqua pro tua prudentia, & æquitate, nisi fallor,
 à me non requiris. Amicitiam tuam, ut debeo, fa-
 cio plurimi: idque ut intelligas, elaborabo, & for-
 tasse perficiam. Vale. Romæ, IIX. Id. Quinct.
 M. D. LXIV.

EI DEM, NEAPOLIM.

EIPST. XXVI.

Respondet ejusdem Furnarii gratiarum actioni, & letatur officium suum illi jucundum fuisse; ac quod pro munusculum miserat, non quidem aspernatur, sed amorem è similitudine studiorum contractum munera non desiderare ait.

Officium meum, quod ab optimo erga te ani-
 mo profectum est, jucundum tibi fuisse, vehe-
 menter gaudeo. Equidem vellem, quantum in
 me voluntatis, & studii, tantum esset auctoritatis,
 & gratiæ. Næ tu intelligeres, quo apud me loco
 sis, quantumque iis, quæ vulgo bona appellantur,
 ante-

anteponam ea, quæ verè bona sunt. In quo puto non discrepare iudicium tuum à sententia mea. Exculto enim virtute animo nihil inane placet; recta & honesta, & cum ipsa virtute conjuncta prima sunt. Quare velim ita planè existimes; patere me totum tui similibus, id est, probis, & eruditis hominibus; nihil mihi pluris esse, quàm iis operam navare, eorumque commodis inservire: quod ubi contigit, ita lætor, quasi beneficium acceperim, non dederim. Tu autem, quasi magnum aliquid tuâ causâ præstiterim, gratias mihi agis: & suavissimam epistolam conditâ rosâ dulciorem facis: amanter tu quidem, & benignè: sed è studio- rum similitudine, præsertim artium liberalium, quibus uterq; nostrum deditus est, contractus amor munera non desiderat, seipso contentus est: nec mihi quidquam est, aut esse potest te ipso præstantius, & benevolentiam tuam: quam si conservas, omni me afficis beneficiorum genere: & hoc nomine majores tibi habeo gratias, quàm si mihi Andonidis hortos donares. Ego te, ut debeo, in oculis jam fero, licet nunquam viderim. Vale. Romæ, IV. Kalend. Sext. M.D.LXIV.

EIDEM, NEAPOLIM.

EPIST. XXVII.

Agit Furnario gratias, & de literis ad se scriptis, et si quod scriberet, nihil esset: & de pastillis aromaticis dono missis.

Form. Amicitia ex studiorum similitudine contracta. Ibi: Hoc idem qui sentiunt. (A)

Magni

Magni amoris indicium, quod scribere ad me volueris, cum tamen, quod scriberes, nihil esset. Argumento scilicet nunquam indiget verus amor. Verè autem quis amat, nisi qui, speciem virtutis intuens, hæret in ea, unam expetit, cetera floccificat? Hoc idem qui sentiunt, (A) facile conjunguntur animis, licet longissime distent. Quod, opinor, utriusque nostrum contigit. Nam studiorum similitudo contraxit amicitiam nostram, nec vulgarem, ut video, sed qualem sæpè multorum annorum obsequia, officiaque plurima, & familiaris consuetudo non peperit. Quod tu si cogitas, ut ego non mediocri cum voluptate sæpè facio: contentum esse me, & lætari vehementer voluntate, ac studio tuo, munera verò prorsus non esse necessaria existimabis; quoniam amplector eundem officium tuum, & de pastillis aromaticis ago gratias, cum præsertim stomacho langventi utiles admodum experiar. Quod verò de muliere dulcissima addidisti: amo diligentiam tuam; vel quod ejus excellenti operæ usus es; cum vulgaris tibi confectura, qui tuus est in me amor, non satis faceret; vel quod ipsum mihi significandum putaveris. Cymbæ tuæ secundos ventos exopto: & libenter spero fore, quod vehementer cupio. Res tamen ipsa quæ sit, quidque sibi velit Aquilonaris illa tempestas, planè non assequor. Sum enim aliquantò hebetior, quam tu suspicaris. De minutis avibus, risi; & consilium tuum, licet causam ignorem, tamen improbare non audeo. Nimirum, cavere, sapientis est: & satis cavet, qui non temerè credit,

credit, quod Epicharmi, Poëtæ Siculi, celebrato
versiculo monemur. Vale. Romæ, XII. Kal. Febr.
M.D.LXIV.

N A T T Æ.

EPIST. XXVIII.

*Hortatur Nattam, quem se diligere scribit, ut in
laudabili industria cursu pergat.*

Form. horandi. Perge in cursu. (A)

Notum tibi esse arbitror statum rerum mea-
rum: de quo tamen, & de mea valetudine, ex
familiari tuo, qui has literas perferet, cognosces.
Voluntatem in te meam, atque observantiam, quæ
antea fuit, eandem esse, ac semper futuram tibi
persuadeas, utinam re ipsa aliquando experiaris.
Habet hoc virtus, ut languescere animos in amo-
re non sinat. Te vero, quis jam ignorat, cum
paucissimis in omni genere laudis esse conferen-
dum? Perge in cursu (A) laudabilis industriæ tuæ:
quando nec otium deest, quod misti occupationi-
bus eripitur, & præclara habes adjumenta doctri-
næ atque ingenii, quæ tibi gloriam, nobis fructum
afferent. Me verò ut ames amore illo tuo singu-
lari, ita cupio, ut nihil magis. Hæc scripsi raptim,
in summa vacui temporis inopia. Vale. III. Idus
Quinct. M.D.LXIV.

PETRO MAFFÆJO,
GENUAM.

EPIST. XXIX.

*1. Hortatur Maffajum, ut otii, quo se abundare
scribit, rationem reddat. 2. Facit mentionem cujusdam*

3. Cri, qui adhuc litiget. 3. Nomine cujusdam Antoniani gratulantur ipsi de prospero rerum statu, & sperat ipsum bene nummatum reversurum, & literis, tranquillo animo fruiturum. 4. Camillo gratulatur, quod cum nobili juvene rusticetur.

ET otium tuum significas, quod equidem vehementer optabam: & Latinè scribis, & cœralia quoque polliceris. Nil profectò tuis literis jucundius. Hoc enim verbo per uxoris & filix valetudinem jam uti licet. Unum requiro, quod otii rationem prope nullam reddis. Atquæ me id à te, vel si taceam, exspectare tamen, ne dicam exigere, poteras opinari: si modo, te à me diligere, & diligere propter studia tua, putas. Jurisconsultus ille adhuc litigat, cum damno lucrum quærens. Quem diligit, ignoro: utitur quidem per panem, & amare tenebras videtur. Fortasse illi perivasum est, desiderari se posse ab oculis multorum, si rarus in publico sit. Id populus curat scilicet. Hæc de illo: quod ad me attinet, non libenter, tuâ verò causâ scripsi non invitus, ne profus amiculi desiderio tabesceres. Venio ad Antonianum, quasi à ruta ad pulegium: nihil enim hoc adolescente amabilibus, sive mores, sive doctrinam spectes. Gratulatus ei sum tuo nomine de oratione, qua Cæsarem in funere laudavit. Is tibi vicissim gratulatur de statu rerum tuarum: sperat quæ fore, ut aliquando te ad nos referas bene nummatum, & fruaris nobiscum simul tranquillò animò, litterulis nostris, certò vectigali, tua virtute partò.

Quod

Quod hic, ut sunt tempora, pauci consequuntur. Nihil autem miserius, homini præsertim liberaliter educato, quam suspensas habere vivendi rationes, & aliunde pendere, dubiâ spe, quam sæpè fallit eventus. Tu igitur fruiere iusto otio, & colloca in tuto fortunas tuas: quod vides facere discipulos tuos. Πολλοὶ μαθητῶν ἀρίστοις διδασκάλων. Camillum Severinum, doctum juvenem, & probum, rusticari cum nobili juvene, optimeque erga ingenuas artes animato, Joh. Baptista Nigro: valde lætor. Non enim dubito, quin multas diei horas jucundissimè traducant, animum egregiis de virtute sermonibus oblectantes, corpori tribuentes, quantum satis est. Utrumque cupio, quod tuò commodò fiat, meò nomine saluari. Aldus te, ut debet, amat, salutemque tibi multam imperat. Vale. Romæ, Idibus Septemb. M. D. LXIV.

PAULO SACRATO,
FERRARIAM.

EPIST. XXX.

Queritur, Sacratum de immutata sua erga ipsum voluntate suspicari, ipsumque rogat, ne hanc suspicionem in se residere patiatur. 2. Gratiâs illi agit de pensione exacta. 3. Privatorum fortunas novis exactionibus exhauriri dolet. 4. Dolorem hunc suum quò solatio levaret, indicat.

MAlè sentis de utroque nostrum, cum de immutatâ mea erga te voluntate suspicaris. Nam & me levem, atque inconsistentem, & te fingis dissimilem tui, id est, eum, cujus in amore, co-

gnitâ jam virtute tuâ, languere quisquam possit. Tu de te ipso vide quid statuas, & quò modò feras injuriam tuam: ego meam nec dissimulare, nec ferre leviter possum. Nam cum ab ineunte ætate ingenium, animumque meum in artibus, & studiis incoluerim, unde præclara omnia nascuntur: scilicet egregium industriae meae fructum ferrem, si, quod in quibusdam soleo reprehendere, quodque ipse sciens nunquam feci, in amicitia peccarem, præsertim tuâ, quæ non, ut multæ, casu & fortuito contracta, sed expetita à me semper, & pluris æstimata, quàm quæ vulgò maximæ putantur. Obsecro te, istam ne patere suspicionem in animo tuo residere: cogita, quod res est, te mihi esse in oculis: delectari me vehementer memoriâ officiorum tuorum, & angere nonnunquam, quod habere magis gratiam, quàm referre possim. In pensione exactâ, & pecuniâ permutatâ agnovi diligentiam tuam, vel amorem potius, quo tu adductus, mea negotia vel minima ita curas, quafi maxima sint; majoremque commodi mei, quàm dignitatis & personæ tuæ rationem habes. De locatione verò renovandâ, totum ad te refero. Mihi, quidquid egeris, non modò ratum, sed etiam gratum erit. Venditionem quidem temporibus excludi, & privatorum fortunas novis vectigalibus exhauriri, non meâ magis, quàm vestrâ, causâ doleo: quanquam dolorem nostrum levare debet, illa ratio, quod nihil malum sine culpâ, item ut cum culpâ nihil bonum. Ego me hoc in adversis didici sustentare solatio. Quod ignorari à Christianis,

stianis, quibus hæc sententia præstantissimum in
 cælo fructum promittit, cum iis etiam Philoso-
 phis, qui veræ felicitatis vix umbram viderunt,
 notissimum fuerit, turpe simul & exosum est. Va-
 le. Filius te salutatur, & in primis observatur. Romæ,
 XVI. Kal. Decemb. M. D. LXIV.

EPISTOLARUM PAULI MANUTII

Lib. VII.

CAMILLO PALÆOTTO,
 BONONIAM.

EPIST. I.

1. *Gratias agit Palæotto cum de aliis officiis: cum quòd longam & omni lepore refertam epistolam ad se scripserit.* 2. *Doctrinæ & eloquentiæ laudem sibi tributam non se agnoscere: & eam gloriam, sublati præmiis, jam ad exteras nationes migrasse scribit.* 3. *Rogat ipsum, ne se jam senem ad libros scribendos hortetur, sed potiùs Sigonium & Amasaum.* 4. *Significat ipsi, Amulium Card. ejus memoria valde delectari, & Vitellio gratam fuisse de dignitate gratulationem.*

Form. Laudem non agnoscere. Ibi: Nam quòd me laudas. (A)

REctè, & amabiliter cogitas, cum usuram mihi sermonis tui, tuæq; suavitatis ademptam locorum intervallis, restituendam,